

PERENNIS MEMORIA

JOANNIS CANTII BOZYDAR
PODHORODENSKI,

EPISCOPI POLEMONIENSIS, SUFFRAGANEI ŻYTOMIRIENSIS,
PRAEPOSITI CATHEDRALIS, VICARII IN SPP. ET OFFICIALIS
GENERALIS LUCEORIENSIS, ORDINIS S. STANISLAI EQUITIS,
COELO REDDITI.

Hic Vir ad venerandæ senectutis annos proventus, amplissimorum meritorum serie, omne virtutis stadium longè superavit.

Hic à teneris ad omne verum honestumque excultus, singulari mansuetudine præditus, suavi humanitate perpolitus, raro moderamine conspicuus, explorata constantiâ præcipuus, litterarum laudem cum vitæ sanctimonia jungens, Romæ sacris nomen addixit.

Hic uberrima sapientiâ instructus, admirabili morum integritate et gravitate præstans, Divini humanique Juris consultissimus, æmulus ex æquo Salesii et Boromæi, primis Dignitatibus præfectus, aut verius, summis laboribus, pro bono utriusque Status, continuò admotus, Civibus Cleroque semper charus ac utilis illuxit.

Hic in principem Ecclesiam Luceoriensem liberalis, in egenos et Lazarum prodigus Largitor, magnificus Seminariorum Patronus, pro universa Christi doctrina, scribendo, alter Paulus, orando, Vincentii a Paulo Imitator, universis innotuit.

De Hoc toties dictum iterabitur semper, quod utcumque doctos ac probos tulerint sæcula, parem, sæpe non tulere, quodve Virum talem crebro requiret ætas nostra, posteritas æquabit raro, nihil namque in Eo mediocre, sed totum summum, totum perfectum fuit.

Suus Cliens Mathæus Ladislaus DUBIECKI, Cancellarius Cathedr. Cracoviensis, Se Præsede Senatui Cathedrali Luceoriensi, in Gremium Canonicorum olim cooptatus, ne officio grati animi erga pro-Patrem deesset, Viri tanti memoriam immortalitati monimentis mandavit.

— ornament —
Cur struo perpetuis halantem floribus urnam?

En lege! cui tanti causa doloris erit.

BOŻYDAR è terris decedis, norma Virorum!

Eheu! quot lacrymas elicis astra petens!

Hic honor esto Tuus, semper celebrabere thure

O! Decus! alma meæ Volhynia soboles!

Murice qui splendes, et prisco sanguine clares,

Ac magè quàm sydus, Lumen in Orbe! nites.

Utque Tuis opibus viguerunt pauper et æger,

Sic probitate Tua crevit et ipse Gliens.

Qui fueras sapiens, pius, integer atque disertus,

Par tibi MASSILION extitit eloquiis,

Præsuleum pectus Divina fovebat utrique,

Ultima Vos noscet, munere, Posteritas,


Unctio cœlestis mentem penetrârat utramque,

Ecquis non maret, Vos obiisse diem?

Dotibus alterius mores componitis alter;

Stabitis hinc Templis, nobiliore locò.

— ornament —



XIII 2.329

MUSALI Adam hr.